

pape Alexandro quam omnibus successoribus suis et toti ecclesie Romane.

3) Et universa regalia et alias possessiones sancti Petri¹ quas ipse abstulit vel sui vel alii favore ipsius², quas scilicet Romana ecclesia habuit a tempore Innocentii, domino pape Alexandro et ecclesie Romane restituet et ad retinendum iuvabit.

4) Possessionem quoque prefecture³ urbis dominus imperator libere et plenarie restituet domino pape⁴ Alexandro et Romane ecclesie. Si autem⁵ post optentam plenam restitutionem eius dominus imperator aliquid iuris in ea voluerit requirere⁶ a domino papa et ab ecclesia Romana, cum hoc postulerit, paratus erit dominus papa et ecclesia Romana iustitiam ei exhibere.

5) Similiter et universos vasallos ecclesie quos occasione scismatis⁷ imperator abstulit vel recepit, absolvet et domino pape A. et ecclesie Romane restituet.

6) Possessionem etiam terre comitisse Matildis, sicut ecclesia Romana tempore Lotharii imperatoris et domini regis Conradi et eciam⁸ tempore huius domini F. imperatoris habuit, domino pape A. et ecclesie Romane⁹ restituet, sicut etiam dictum est inter mediatores pacis.

7) Preterea¹⁰ dominus papa et dominus imperator ad honorem et iura ecclesie et imperii¹¹ conservanda vicissim se iuvabunt, dominus papa ut benignus pater devotum et carissimum filium et imperatorem christianissimum, dominus vero imperator ut devotus filius et christianissimus imperator dilectum et¹² reverendum patrem et beati Petri vicarium.

8) Quecunque autem tempore scismatis vel occasione ipsius aut¹³ sine ordine iudiciario ecclesiis a domino imperatore vel suis sunt ablata, eis restituentur.

9) Pacem etiam veram dominus imperator faciet cum Lombardis secundum quod tractabitur per mediatores quos dominus papa et dominus imperator et Lombardi ad perficiendum¹⁴ interposuerint. Et¹⁵ postquam de pace inter dominum papam ecclesiam et imperatorem dispositum fuerit sufficienter, aliquid in tractatu pacis domini imperatoris et Lombardorum emergerit quod per mediatores componi non possit, arbitrio maioris partis mediatorum qui ex parte domini pape et domini imperatoris ad id constituti sunt, stabitur. Ipsorum autem mediatorum par numerus erit.

1) Vorher Pet durchstrichen. 2) Vorher ip durchstrichen. 3) quoque prefecture auf Rasur. 4) pape über der Zeile nachgetragen. 5) Ursprüngliches vero durchstrichen und autem über der Zeile nachgetragen. 6) Vorher require durchstrichen. 7) A. 8) Vorher eciam durchstrichen. 9) Roīm über der Zeile nachgetragen. 10) Vorher preterea durchstrichen. 11) et imperii über der Zeile nachgetragen. 12) Vorher patrem durchstrichen. 13) aut corr. aus aud. 14) ad perficiendum über der Zeile nachgetragen. 15) si ist zu ergänzen.